

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Beneficium, quod familia mea in filio per V.D.Ill<sup>mae</sup> ac R<sup>mae</sup> interventum ad collegium Germanicum adlecto recepit, agnosco equidem: et tanti amici favorem, quem mihi conciliavit admodum R.P.Thomas Saillius collegii Soc<sup>tis</sup> Iesu Bruxellae rector, eâ animi submissione, aviditate, gratitudine excipio, complector, deosculor, ut lubens clam palamque spondeam, me meosque humiles, amicos, gratosque D.V.Ill<sup>mae</sup> ac Rev<sup>mae</sup> servos fore, quibus in Urbe ac orbis capite patronus obtigerit, qualem sperare nulla iubebat causa efficax, nisi ipsissima vestra benevolentia: quam ego, meusque filius, qui citò vobis se sistet, etiam in posterum imploramus. Quod igitur in me est, vicissim spondeo futurum, ut et ego, et mei D.V<sup>rae</sup> Ill<sup>mae</sup> ac Rev<sup>mae</sup> addicti sint atque devoti, et Soc<sup>ti</sup> Iesu, quam ut matrem amas, cuius ego incolumitati atque augmento, et filiorum meorum, quos plures habeo, oblatione, et privato amore, et publica auctoritate, si qua etiam minima sese occasio ostentarit. L.M. deserviam. Deus Opt.Max. conservet incolumem D.V.Ill<sup>mam</sup> cuius ego

Indignissimus servus et filius

J.Tserclaes

Datum Bruxellae 14 April. 1612.

Ill<sup>mo</sup>. ac R<sup>mo</sup> Domino D. Cardinali Bellarmino D. suo obser<sup>mo</sup> (cachet)  
Romae.